DE
APOPLEXIA

Ex
Authoritate
Magnifici Rectoris,

D. WOLFERDI SENGUERDII, L. A.M.
Phil. & J. U. Doct. illiuſque in Illuſtri Academiâ
Lugd.-Bat. Profeſſ. ordinarii, celeberrimi, &c.

CONSENSU
Ampliſſimi Senatus Academici,

ET
Celeberrimæ Facultatis Medicæ
DECRETO,

PRÆSIDE
DEO OPTIMO MAXIMO

Ad diem 12 *Martii loco horiſque ſolitis publice diſputabit*

WILHELMUS LAYNGE, Rigâ-Livo.
Ad Doctoratus in Medicina Honores & Privilegia
rite legitimeque impetranda.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXV.

VOBIS

Viri Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi,

DN. BURGGRAVIE REGIE,

DNN. CONSULES,

DNN. SENATORES,

Atque adeo Univerſis & Singulis

Inclytæ

REIPUBLICÆ RIGENSIS

MODERATORIBUS

Sapientiſſimis & Graviſſimis,

PATRONIS ET FAUTORIBUS

Non uno obſervantiæ genere colendis.

TIBI QUOQUE,

Nobiliſſime, Ampliſſime, Experientiſſime

DN. NICOLAE WITTE à LILIENAU,

Medicinæ Doctor,

S. Reg. Maj. Suec. Archiater digniſſime,

Civitatis Rigenſis Proto-phyſice meritiſſime,

mihi plus quam filiali cultu dilecte,

Diſputationem hanc inauguralem

votivâ devotaque Mente

offero

Auctor.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIONIS

DE

APOPLEXIA.

THESIS I.

Inter Affectus graviſſimos & periculoſiſſimos, qui hominem miſerè excruciant, & in præſentaneum vitæ periculum præcipitant, haud inferiores obtinet *Apoplexia*, cum enim acerrimus hic vitæ hoſtis nobiliſſimæ corporis humani parti inſultet, Cerebro ſcil. omnis ſenſationis motuſque principio atque organo, in quo cum mente noſtra communicantur motus, corpori noſtro impreſſi, & Mens quoque noſtra ſpirituum animalium hos dirigit motus ad functiones arbitrarias perficiendas; haud difficile perceptu erit, quam in ſtatu periculoſo æger verſetur. Hinc me non abs re feciſſe arbitratus ſum, ſi pro ingenii mei viribus hunc affectum propriis ſuis coloribus delineare decreverim, illudque Lemma pro Gradu Doctorali conſequendo elucidare & reſolvere in me ſuſceperim.

II.

Quod ut felicius ſuccedat; Hominis *ſtatum integrum* præmittere decrevi: Illum ſcil. ſtatum, in quo menti noſtræ motus corpori noſtro impreſſi commodè offerri queunt, unde anima noſtra anſam acquirit de diverſis iſtis motibus judicandi. Itidem illum ſtatum in quo anima noſtra pro voluntate ſpirituum animalium motibus determinandis imperare valet, ad certas in his vel illis corporis partibus producendas actiones: ut eò facilius determinare queamus Hominis *ſtatum rui-*

noſum, in quo mens noſtra nec de illis, quæ extra ipſam fiunt, ullam habet perceptionem, nec pro voluntate ſuâ functiones ſuas in corpore exercere poteſt. *Contraria autem juxta ſe mutuò poſita magis eluceſcunt.*

III.

Conſiderabimus itaque Cerebrum noſtrum præcipue conſtare ex multiplici congerie fibrillarum variis modis inter ſe contextarum; quod non tantum ſolâ ratione percipimus, ſed inſuper attentâ inſpectione per Mycroſcopia ad oculum patet, & præcipue elucet in Medulla ſpinali, (cerebro ſcil. prolongato) quam in innumera tenuia filamenta, quovis ſerico tenuiora, diviſibilem obſervarunt curioſiores Anatomici. Inter hunc fibrillarum mirificum contextum relinquuntur cavitates ſatis conſpicuæ, (quas Ventriculorum nomine appellare ſolent Anatomici) à cujus interiori ſuperficie procedunt filamenta quædam communi meningum tunicâ involuta, quæ prolongata & per diverſa cranii foramina exeuntia nervos deſcribunt.

IV.

Hæc autem filamenta, cum teretis ſunt figuræ, inſtar cylindrorum, non ita arctè ſibi mutuò incumbunt, quin vias relinquant inſtar tubulorum patulas, per quas ſpiritus animales commode deferri poſſe, ad illas partes ad quas excurrunt nervi, ſtatuimus.

V.

Quando itaq; hæ viæ ſeu tubuli ſpiritibus animalibus ſunt diſtenti, fibrillæ cerebri prolongatæ ita expanduntur, ut motus ab una extremitate ipſis impreſſi in momento deferantur ad alteram extremitatem, quod in chordis muſicis expanſis cuique ſatis obvium eſt.

VI.

Uti ex hoc cerebro intra calvariam contento talia excurrunt filamenta communi membranâ meningum involuta, ita etiam ex ipſa medulla ſpinali per interſtitia vertebrarum tales prodeunt nervi in varias partes noſtri corporis deſinentes, quorum quidem triginta paria numerare ſolent Anatomici.

VII.

Hi itaque nervi inſerviunt *partim* inſtar canalium ad ſpiritus animales, in certos & determinatos muſculos, quibus inſeruntur,

tur, determinandos & deducendos, pro quorum contractione vel dilatatione varios etiam debere reſultare motus in membris neceſſum eſt. *Partim* mediantibus ſuis fibrillis idonei evadunt diverſis ſenſibus producendis, nam pro diverſitate motuum his fibrillis impreſſorum, anima noſtra etiam diverſas habet perceptiones, & de iis judicat, quæ corpori noſtro per formam motuum accidunt.

VIII.

Contemplabimur inſuper ſanguinem, cum chylo ad cordis ventriculos affluentem, attenuari, dividi quoad minima, motumque fermentationis ſuſcipere. Quod fit *partim* propter diverſitatem particularum ipſius ſanguinis & chyli, quæ diverſum tranſmittunt ætherem. *Partim* ab ipſo fermento cordis, orto ex reliquiis ſanguinis fermentati & naturam fermenti induentibus. *Partim* ex fermento per arterias coronarias in cor expreſſo. *Partim* ex ipſo æthere tranſeunte per poros parenchymatis cordis. Ad hanc ſanguificationem denique Aër, dum ſanguis fertur per pulmones ex dextro cordis ventriculo ad ſiniſtrum, ſuum contribuit, communicando ſanguini per poros vaſorum intro ſpectantes, ſalem ſuum aëreo-nitroſum tanquam fermentum aliquod nobile. Quæ omnia concurrentia non poteſt non, quin partes noſtri ſanguinis debeant variis motibus concuti & in ſe mutuo impingendo attenuari & dividi quoad minima. Hinc dum vel motu inteſtino ſuarum partium, vel à contractione ventriculorum cordis ex ſiniſtro thalamo propellitur in aortam, pars ejus ſubtilior per arterias carotides & ceruicales petit ipſum cerebrum, impetumque faciens in arteriarum tunicas, præcipue in plexu choroïdæo, vel Reti mirabili tranſire facit ſubtiliſſimas, defœcatiſſimas, maxime mobiles & agiles ſuas particulas quas Medici *Spiritus animales* vocare ſolent.

IX.

Hi ſpiritus ergo, ſi ſufficienti copiâ tranſſudant per arteriarum poros, & ſatis ſunt agiles, ita ut contextum fibrilarum cerebri diſtendere & ſuſtinere valeant, ſi quoque principia nervorum ſatis patula ſunt, & cavitates ſeu tubuli nervorum ſufficienter ſpiritibus implentur, ut fibrilæ ſufficienter extendi, & libere expandi queant in ſuis canaliculis, exactè ſenſus in nobis producunt. Inſuper iidem canales orificia ſua habentes hiantia à parte ventri-

culorum cerebri optimè inſerviunt ad trajiciendam ſufficientem ſpirituum animalium copiam in certos & determinatos muſculos ad motus tam arbitrarios, quam automaticos ritè exequendos.

X.

Obſervamus ulterius mentem noſtram præcipuas ſuas in cerebro exercere functiones, ibi recipiendo & percipiendo motus corpori noſtro, per certum tremorem fibrillis nervorum impreſſos, & judicando de motuum diverſitate. Ita enim tremulo aëris motu incidente in concavum auris, & concutiente tympanum nervoſque auditorios, ad cerebrum delato, & mediantibus ſpiritibus animæ noſtræ oblato, mens noſtra dicitur habere perceptionem *Auditus*.

X I.

Eodem modo radii ſolares tranſeuntes humores oculi, & tangentes filamenta nervorum opticorum (in fundo oculi quaquaverſum diſperſa) ea pro diverſitate objectorum, à quibus reflectuntur, diverſimodè concutiunt, qui motus itidem cum anima noſtra communicatus in anima noſtra excitat perceptionem *Luminis* & *Colorum*.

X I I.

Eadem ratione effluvia corporum odoriferorum impingentium per nares in nervos olfactorios, & pro diverſitate partium (ex quibus odorifera conſtant) filamentis diverſos etiam imprimunt motus, quibus itidem delatis ad cerebrum, mens noſtra dicitur *Olfacere*.

X I I I.

Idem judicium eſto de alimentis, potulentis & quibuſvis aliis, quæ itidem ferientes nervos linguæ inſertos, in anima excitant ſenſum *Guſtus*.

X I V.

Nec ſicco pede tranſeunda *Animi pathemata*, pro quorum variatione corpus noſtrum etiam diverſimodè afficitur; ita enim in *Lætitia* & *Gaudio* longe liberius & felicius procedit ſanguinis fermentatio in corde à copioſiori influxu ſpirituum animalium, unde ſpirituum copioſior diſtributio per totum corpus, quam quidem in *Mærore* & *Triſtitia*; ubi propter minorem influxum ſpirituum in fibras cordis fermentatio ſanguinis, generatio ſpirituum, illorumque diſtributio per totum corpus valde imminuuntur.

Ani-

XV.

Animadvertimus denique, quod pro diverſitate motuum mediantibus nervis & ſpiritibus ad cerebrum delatorum diverſi alii reſultent motus, qui vel dependent ab ipſâ conſtitutione & conſtructione cerebri, vel à conſuetudine, cenſenturque inter *motus automaticos*; ipſa etiam anima noſtra pro voluntate ſuâ dirigit ſpiritus animales per ſenſorium commune in certa & determinata nervorum orificia, ad has vel illas partes ad motum excitandas, eodem quodammodo modo ac gubernator nauim, plenis velis excurrentem, clavo dirigit ac gubernat.

XVI.

Quâ ratione autem corpus in animam, animaque in corpus agat, facilius hoc verum eſſe percipimus, quam demonſtrare valemus.

XVII.

Ex his itaque prælibatis facile colligere poterimus, quiſnam debeat eſſe hominis ſtatus integer, quatenus ſpectat ad hunc caſum, ſcil. ille in quo contextus fibrillarum cerebri ſufficienter à ſpiritibus diſtenditur, ut ſpiritibus animalibus affluentibus & per arteriarum poros tranſudantibus libera concedatur via ad motus ſuos abſque interruptione peragendos. In quo itidem ſtatu nervorum canales ſpiritibus animalibus ita turgere & inflari debent; ut filamenta liberè extendi & expandi valeant, quo motum uni extremitati impreſſum, promptè ad alteram extremitatem deferre, illumque cum ſpiritibus animalibus communicare poſſint. Ut nervorum inſimul principia ſatis ſint patula, ita ut ſpiritibus animalibus vel pro conſtructione cerebri liber & ſufficiens detur influxus ad motus *automaticos* peragendos, *vel* ut mens noſtra pro ſuâ voluntate & imperio eoſdem ſpiritus in ea determinare valeat, ad motus *arbitrarios* excitandos, quos Mens excitare intendit. Requiritur inſuper in hoc ſtatu ſano; ut *ſanguificatio* ſecundum antè dicta rite in corde procedat, generatorumque ſpirituum ad cerebrum delatorum per poros arteriarum juſta fiat ſecretio. Ad quæ accedunt *Animi Pathemata* ſano huic ſtatui correſpondentia. Ita enim hiſce bene conſtitutis conſervatur ſartum tectum commercium Animæ cum corpore & corporis cum Mente.

Hic

XVIII.

Hic ſtatus integer diverſis modis lædi & alterari poteſt, & quidem *externè* à cauſa violenta, caſu ſcil. ictu capitis &c. dum Cranium frangitur aut deprimitur, contextus tunc cerebri & fibillarum læditur, & ſpiritus animales in motu ſuo impediuntur. *Internè*; quando ſanguificatio & ſpirituum ſecretio non rite procedit, ſi nimirum in corde fermentatio ſanguinis ultra modum augetur, unde ſanguis fervido & impetuoſo impingens motu in latera carotidum & cervicalium non tantum tranſmittit per poros arteriarum defœcatiſſimam & puriſſimam partem, quam ſpiritus animales Medici vocant, (de quo egimus Theſi VIII.) ſed inſuper poros arteriarum dilatans, cauſa eſt, quod partes craſſiores, viſcoſæ & terreſtres unà tranſcolentur. Vel quando ſanguinis in corde fermentatio, attenuatio & diviſio quoad minima, minus feliciter peragitur, unde vel tota maſſa ſanguinis multis terreſtribus viſcoſis & glutinoſis partibus laborare debet; arteriæ quoque carotides & cervicales à tumoribus glandularum vicinarum comprimuntur, hinc ſpirituum inopia, eorundemque motus torpidus & languens reſultat. Vel quando ſanguis nimis evadit acris, & poros vaſorum corrodens facit, ut vaſa rumpantur, ſanguinemque effundant in cerebri cavitates.

XIX.

Læditur quoque ſtatus hic integer, quando ſpiritus menti obedientes in functionibus arbitrariis peragendis liberum ſuum motum non exequi poſſunt, fitque vel quando orificia nervorum à partibus ſanguinis viſcoſis & terreſtribus conglutinantur & obſtruuntur. Vel quando ſanguis extravaſatus (à cauſis in Theſi præcedenti dictis) aut nervorum tubulos comprimit, aut depluens in cerebri cavitates eorum orificia opplet & obturat. Hinc ſufficiens ſpirituum animalium copia ad partes corporis deferri nequit, unde ceſſant illarum functiones *ſenſus* & *motus*. Itidem cum motus nervis impreſſi, propter orificia obſtructa aut compreſſa, animæ noſtræ repræſentari nequeunt; anima tunc nullum de iis format judicium, ſed ſuis cogitationibus contenta commercium liberum cum corpore non habet, nec valde de ipſo eſt ſollicita. Aut imaginatur & dijudicat tantum illas, quæ ſibi per fortuitas determinationes ſpirituum, intra ventriculos obvolitantium, offeruntur imagines.

Quid

XX.

Quid autem ad hunc morbum producendum *res non naturales*, tanquam *cauſæ remotiores*, queant contribuere, ut explicemus, ordo theſium deſideraret, ſed cum brevitati ſtudeamus, & vereamur lectori nos graves futuros, amplâ illorum deſcriptione ſuperſedebimus. Breviter & in genere tantum notabimus, illas duplici modo poſſe conſiderari, vel quatenus ſanguinis, humorum elaborationem & fermentationem retardant, vel adaugent: ita enim *Aër* craſſior, *cibi* difficilis concoctionis, *exercitia* omiſſa, *ſomnus* protractus, *excrementa* diutius retenta, *animi pathemata* triſtiora, ſanguinem reddunt viſcoſum, terreſtrem, torpidum & languentem; hinc qualis ſanguis, tales humores, uti & ſpiritus. Econtrario autem *Aër* tenuis, *Cibi* ſale & oleo, præſertim ſi volatilia, turgentes. *Exercitia* immodica, *Vigiliæ* protractæ. *Animi pathemata* vehementiora & fortiora, iræ ſcil., Vindictæ &c. ſanguinem reddunt acrem, fluidum & impetuoſum.

XXI.

Sed cum in Apoplexiâ *Reſpiratio* & *Pulſus* ſoleant remanere quodammodo conſervatæ ad ægrum pro aliquali tempore in vita retinendum, quæri hic poſſet: quare, præ ceteris nervis, non ita facile obſtruantur nervi reſpirationi dicati, quam quidem reliquis functionibus arbitrariis reſpondentes? ad cujus problematis ſolutionem reſpondemus, quod cum ab ipſo nativitatis momento uſque nobis ſit reſpirandum abſque ullâ interruptione, hinc per continuum iſtum influxum ſpirituum animalium in nervos reſpiratorios, orificia horum nervorum facta fuiſſe patentiora & fortiora adeoque non ita facile obſtructionibus obnoxia, quam reliqua anguſtiora & teneriora. Itidem putamus, quod per continuum impetum ſpirituum in neruos reſpiratorios feliciùs partes obſtruentes amoveantur, unde illorum totalis obſtructio difficilius procedit: læditur quidem, ut difficilius reſpirent, & cum difficultate, non autem totaliter obſtruuntur. *Stertunt* autem ex pituita affluente, faucibus, aſperæque arteriæ lateribus agglutinata & exſiccata; imprimis cum hiante & patulo ore decumbunt, unde latera faucium aſpera & arteriæ aſperæ ſcabra evadunt, in quæ dum aër inſpirationis & exſpirationis tempore alliditur & impingit, illum ſonum edere ſolet perverſum, quem obſervamus in altè dormientibus, ſoporoſis & apoplecticis;

 ſimi-

ſimili ratione ac experimur in muſicis inſtrumentis, ubi unum arenæ granulum in tubum quendam illapſum, totum ſonum alterat. *Pulſus* quoque non facile interrumpitur; cum nervi cordi implantati procedant ab eodem pari Vago, quod ramos ſuos ſpargit ad diaphragma, cavitatem abdominis & pleraque utriuſque ventris viſcera. Hic autem influxus ſpirituum cum præ ceteris conſervetur liberior, motus huic influxui reſpondentes non ita facile læduntur.

XXII.

Obſervare autem ſolent practici, quod in illis qui ſenſim prolabuntur in Apoplexiam ſoleat *præcedere* capitis gravedo, ſomnolentia, ſtupor, vertigo, quorum etiam rationem facile reddere poterimus, ſi attendamus ad illa quæ diximus de ſanguinis fermentatione in corde læſa & imminuta, dum enim, ut Theſi diximus VIII. propter denegatam diviſionem & attenuationem in corde, tota maſſa ſanguinis laboret multis particulis terreis & viſcoſis, ſpiritusque animales deficiant copiâ & motu; hinc etiam multas tranſudare partes viſcoſiores & terreſtriores, quam par eſt, oportet: quæ interſtitia contextus nervorum obſtruentes fibrillasque cerebri tendentes *dolorem gravativum* excitant. Ab inopiâ verò & languore ſpirituum non ſufficienter diſtenduntur, & ſuſtinentur fibrillæ cerebri, ut fiat ſufficiens influxus ſpirituum animalium in nervorum principia, unde *ſomnolentia*. *Stupor* oritur ex fibrillis nervorum ſibi mutuo incumbentibus, & à ſufficienti copiâ ſpirituum non ſatis libere expanſis & diſtentis in ſuis canaliculis. Cum autem propter obſtructiones à particulis pituitoſis & terreſtribus inter fibrillas cerebri ſpiritus animales lineâ rectâ motus ſuos abſolvere nequeant, ſed reflectantur in ſpiritus à tergo ſubſequentes; ſecundum leges motûs, ſe mutuo diſponunt in illo ſitu, in quo ſibi mutuò minimo ſint impedimento, h. e. feruntur motu circulari, (uti hoc in fluminibus in obſtacula impingentibus verticesque facientibus, cuique obſervare licet) unde cum Animæ per ſpiritus rotantes objecta repræſentantur, Mens noſtra itidem illa motu circulari circumferri judicat, hoc eſt *Vertigine* laborat.

XXIII.

Eſt itaque *Apoplexia*, *abolitio ſenſus & motûs, cum læſione gravi functionum principalium; remanente reſpiratione & pulſu.*

Mor-

XXIV.

Morbus hic periculoſus eſt & plerumque lethalis ſecundùm *Aphor. Hipp.* 42. Sect. 2. ſolvere Apoplexiam, vehementem quidem, impoſſibile: Debilem vero non facile. Et qui evadunt præſentaneam mortem, hand raro in paralyſin incidunt, remanentibus ſcil. quibuſdam nervis obſtructis. Sic manent quidam muti, ſurdi, cœci, quibuſdam tollitur motus brachiorum, pedum &c. pro diverſâ nervorum obſtructione.

XXV.

Conſiderabimus itaque ægrum vel quatenus eſt in ipſo paroxyſmo ſenſu & motu deſtitutus, nullamque habens perceptionem illorum quæ corpori ſuo contingunt, unde nec ad interrogata reſpondere, nec medicamina deglutire valet. Vel quatenus, paululum diſcuſſà materiâ peccante, in ſtatu eſt, ut ipſi per interna medicamina ſuccurri queat.

XXVI.

In paroxyſmo à cauſa violentâ externâ, caſu ſcil., ictu capitis &c., ſi Cranium ſit fractum aut depreſſum ad Chirurgiam confugiendum, & reſtitutio molienda, ne per continuam preſſionem fibrillarum cerebri continua maneat nervorum obſtructio. Ne autem per rupta vaſa major ſanguinis copia extravaſetur, malumque reddatur immedicabile, ſi ægri vires permittant (quod ex pulſu vel ſtatu ægri antecedente colliget Medicus) venam ſecari quid vetat? cum per depletionem tunicæ vaſorum collabantur, facilius conglutinentur, & impetus ſanguinis in vaſa rupta minor evadat, ac proinde tanta ſanguinis extravaſatio non metuenda; Sanguis extravaſatus & ſtagnans propter receſſum partium volatilium & ſpirituoſiorum facile condenſatur & grumeſcit. Hinc itaque omni ſtudio tentandum, ut ſanguis hic diſſolvi & diſcuti queat, quod licet difficulter ſuccedat, cum medicamenta, antequam eò deferri poſſunt, multum amiſerint de ſuo vigore & efficaciâ, attamen probi erit Medici, ægrum, quantum ars patitur, ſublevare, nec ipſum certæ morti expoſitum relinquere.

XXVII.

Externè omnia illa applicanda, quæ ſenſus excitare valent, utpote *Viſus* radiis ſolaribus & luce ſplendidâ. *Auditus* clamore, ſtrepitu, tinnitu campanarum & nolarum vexetur. *Naribus* ap-

plicentur illa, quæ ſale ſuo volatili altè penetrare poſſunt, ut ſpir. ſal. Armoniac. acris, igneus, ſuper calcem vivam deſtillatus. Acetum forte in ignitam lamellam fuſum. Suffimigia itidem hîc prodeſſe poterunt ex Succino, Caſtoreo, Caryoph. Thure, Sulphure; cautè tamen iis utendum ne patientes ſuffocentur. *Guſtus* vellicetur acribus in os inditis, v. g. Sinapi, ſucco vel tinctura Nicotianæ. *Tactus* frictionibus, puncturis, vellicationibus, ligaturis, veſicatoriis capiti raſo applicatis, cucurbitulis cum multâ flammâ capiti impoſitis. Corpus totum parumper agitetur & concutiatur ad materiam in ſinubus cerebri commovendam; ſedeat quoque æger erecta cervice. Tempora illinet Medicus balſamis multo oleo & ſale volatili fœtis v. g.

℞. Ol. NM. expr. ℥ij.
ſtill. Lavend.
Roſmar.
Caryoph. a. gtt. IV.
Succin. gtt. ij.
Sal. Vol. oleoſi. &
Balſami peruv. q. s.
ad formam balſami liquidioris.

Clyſteres injiciantur per inferiora (ſi ſphincter ani non ſit reſolutus) ex decocto Lign. Saſſafr. Guajaci. Rad. Bryon. Pœon. Enul. campanæ. Ex herbis Major, Mentæ, Salv. Rut. Betonicæ. Florum Lavend. Chamomillæ, Seminum Dauc., Naſturt. Fœniculi, quæ ut ſales & olea ſua volatilia facilius tradant liquori ſeu menſtruo ſuo, coquantur in vino, quibus feliciſſimè addes purgantia acria, Volat. incidentia & attenuantia, inter quæ non inferiores obtinet Colocynth. (ſeu ejus Trachiſci Alhandal dicti, ſoluti in Aq. Vitæ Matthiol.) quæ propter tenuitatem ſui ſalis facile communicatur cum maſſâ ſanguineâ, & propter acrimoniam ſui ſalis potenter incidit & attenuat. Laudant hîc chymici non abſque ratione ſuum *Crocum Metallorum* ſeu *Hepar Antim.* decocto ſive clyſteri infuſum, hoc enim propter ſubtiles & acres ſuos ſales potens eſt incidendo & attenuando; ex hiſce clyſter elaboratus per inferiora in inteſtina propellatur, qui licet non pertingat ad tenuia inteſtina uſque, in quibus vaſa lactea majori copiâ reperiuntur, in inteſtinis tamen craſſis ſpirituoſiores hujus clyſteris partes oleoſo-ſalinæ volatiles vel per

du-

ductus lacteos patentes, vel per poros lacteorum nondum ſatis detectos communicabuntur cum ſanguine noſtro per formam tranſſudationis. Neque eſt, quod hac in re nimis ſimus increduli, cum ipſa experientia teſtetur, quod Merc. crudus per inunctionem externam artubus illitus per poros cutis licet aëri frigido expoſitos tranſſudare valeat, ſeſeque miſcere cum ſanguine, multo itaque facilius ſales & olea volatilia per patentes poros partium internarum aëri frigido non expoſitos penetrare poterunt, ſuaſque vires & dotes ſanguini imprimere.

XXVIII.

Si autem Apoplexia ortum ducat ex tranſſudante pituitâ per poros arteriarum nimis dilatatarum, ſive ab exercitiis, ſive ab ipſis Animi pathematibus vehementioribus, præſertim ſi æger ſit plethoricus, & caſus ſit ſubitaneus abſque præviâ vertigine, gravedine capitis, itidem V. S. locum habere poterit. Si autem ab ipſo vitio ſanguinis, particulis viſcoſis & terreis, ſcatentis, taleſque partes ſenſim trajicientis Apoplexia cum præviâ vertigine & gravedine capitis oriatur, V. S. onem minus convenire putamus, quippe, ſanguinis motu debilitato, partes quæ adhuc ſunt in fluore inſpiſſabuntur, majoremque anſam huic morbo præbebunt. Convenient in ipſo paroxyſmo omnia ſpirituoſa ſalino ſulphurea, vel in formâ balſamorum, ſuffumigiorum exterius adhibita, & magni hic erit momenti clyſter præſcriptus reiterandus pro neceſſitate.

XXIX.

Si æger denique externis iſtis adjutamentis paululum ad ſe redit atque in ſtatu eſt, ut ipſi per *interna* medicamenta ſuccurri queat, reſpiciendum primo putamus ad diſcuſſionem materæ peccantis, cerebrum & principia nervorum occupantis, quod vel fiet per diſcutientia & attenuantia oleoſo ſalina volatilia, vel per Mineralia & metallica ut pote per Tinct. Antim. Martis, Veneris &c. Vel per diaphoretica & purgantia.

XXX.

Inter Diſcutientia & attenuantia principatum obtinent ſales volatiles quivis, vel ex vegetabili, animali, vel minerali regno educti. Ex vegetabilium familiâ non inferioris ordinis erunt aromatica, quippe multo ſale volatili acuto fœta, quod teſtantur ipſorum olea, quæ propter quantitatem ſalis non ut reliqua

olea in ſuperficie aquæ natitant; ſed fundum petunt. Ad hæc accedunt Antiſcorbutica, quæ majori ex parte vehunt ſalem alcalicum volatilem inſigniter attenuantem & diſcutientem, ut Cochlearia, Kaphan. Ruſticus, Naſturc. Hortens. &c. qui ſales pro lubitu Medici oleis ſtillaticiis maritari poterunt & inde conſici ſales volatiles aromatici & oleoſi.

XXXI.

Largiter ſales volatiles fundunt quævis partes & excrementa animalium, ita enim prudens artifex hos ſibi colliget ex Cranio, cornubus, ſanguine, urina, ungulis, quæ quomodo per ignem elaborari, & ab oleo ſuo fœtido depurari debeant, illud ſufficienter edocent chemicorum ſcripta. Inter ſales autem hos volatiles comparatu faciliores erunt, qui ex ſale Armoniaco eruuntur, hoc enim cum factitium ſit & artificiale ex urinâ camelorum, vel jumentorum & ſale communi excoctum, ſimulac deſtruitur connubium ſalis volatilis cum communi (per quævis alcalia ſixa v. g. Tartari, Nitri, cinerum clavellatorum & ſimilium) ex ſurgit illico ſal volatile urinæ vel in formâ ſiccâ vel humidâ, quem ſalem volatilem feliciter omnibus obſtructionibus opponi poſſe & ratio & experientia ſuadent.

XXXII.

Fundunt itidem mineralia ſuos ſales volatiles haud inferioris ordinis quàm qui ex vegetabili & animali regno educuntur, cujus teſtis erit inſignis ille ſpiritus volatilis qui eruitur ex vitriolo mediante deſtillatione, hic n. confuſus ebullit cum proprio ſuo acido ſpiritu ex eodem vitriolo elabarato & oſtendit ſe alterius eſſe ordinis, quam acidum, quod vulgo vendi ſolet pro ſpiritu Vitrioli, hic volatilis ſpiritus mineralis mixtus cum ſp. Tartari rectificato & cum ſpiritu vini theriacali camphorato deſcribit famoſam iſtam Mixturam de Tribus ſeu Diaphoreticum Paracelſi in peracutis, cui mixturæ tanquam generoſiſſimo medicamini multum tribuunt non abs re Chemiatrici.

XXXIII.

Inter *Diaphoretica* comprehendemus vel quæ ſale & oleo ſuo volatili fermentationem ſanguinis promovere valent, glandulaſque ſubcutaneas impetu & tenuitate ſuarum partium reſerare, motumque leniorem fermentationis Maſſâ ſanguineâ imprimere ut Theriaca, Mitridatium, Orvietanum. Vel quæ ſale ſuo ri-

rigidiuſculo non tantum diaphoreſin movere, ſed inſuper obſtructiones pertinaciores reſolvere poſſunt, qualia erunt decocta ex lignis & radicibus ſolidioribus ſalem magis conſtantem & rigidum fundentibus. Vel quæ in igne *calcinata* tales ſibi acquiſivere poros per quos æther fertur concutiendo & ad motum fermentationis diſponendo maſſam noſtri ſanguinis, qualia erunt Antim. Diaph. Bezoardica ſimplicia vel compoſita ſolaria, Martialia; Jovialia, quæ ſi uniantur cum vegetabilibus volatilibus oleoſoſalinis eò felicius opus ſuum deſtinatum perficient, hæc enim fixa diaphoretica tardè in actum educuntur, ſed ſemel in actum educta diu circulando cum ſanguine opus ſuum deſtinatum abſque interruptione abſolvunt; non incommodum itaque erit hæc fixa miſcere cum volatilibus quæ quidem cito operantur, ſed cito etiam deſinunt, ut unum ſubveniat alteri:

℞. Theriac. Venet. ℈ij.
Confect. de Hyacint. ℈j.
Bezoard. Min. gr. x.
Croci opt. gr. v.
Sal Card. Bened. gr. VIII.
Ol. ſtill. Carioph. gtt. ij.
M. F. Bolus.

XXXIV.

Ex *purgantium* familiâ maxime inſervient illa quæ ſale ſuo fermentativo valent incidere glutinoſas & viſcoſas noſtri ſanguinis partes, qualia præcipue erunt, quæ Medici referunt inter *phlegmagoga* ut Agaricus, Turbith, Hermodactyli, Colocynthis & ex hoc formati trochiſci Alhandal. Inter *mineralia* potentiſſimè incidit & attenuat Merc. Vitæ, qui ſi correctus fuerit cum Nitro & ſale purgans præbebit ſecurum & fidum, potenter penetrans ad partes diſſitas, pituitamque coagulatam diſſolvens & educens. Inter *Metallica* purgantia haud inferiores obtinebit Mercur. dulcis ex reiterata ſublimatione Merc. Sublimat. Corroſivi cum Merc. crudo inſipidus factus, & omni corroſivo liberatus, quæ ut felicius operentur commode miſceri poterunt cum extractis vegetabilium purgantibus, ut

℞. Ex-

Vel.

℞. Extract. Cathol. gr. xv.
Merc. dulc. gr. viii.
Troch. Alhand. gr. iij.
Ol. ſtil Lavend. gtt. iij.
M. F. Pil. N°. v. Vel vij.

℞. Diagrid. gr. viii.
Troch. Alhand. gr. iij.
Merc. Dulc. gr. x.
Ol. ſtill. Macis gtt. v.
M. F. Pulv. pro doſi.

Vel.

℞. Extract. Cathol. gr. viii,
Merc. Vitæ correct. gr. iij.
Ol. Caryoph. gtt. iij.
M. F. Pil. N°. iij.

XXXV.

His ſi æger prudentis Medici conſilio & ope ad ſe redeat, & ex periculoſo hoc morbo emergat, oportet ut ſummâ ope nitatur, ne recidivam patiatur, non enim minor eſt virtus quam quærere parta tueri, in caſu itaque quo ſanguis laborabat nimio acri & fixo ſale poros arteriarum nimis dilatante viamque particulis viſcidis præbente. Si quoque caſum hunc concomitata ſint Animi pathemata vehementiora ex ira, furore, terrore &c. *Victus* ratio inſtituatur ex illis, quæ ferociam ſalis mollitie ſuarum partium demulcere & modico humido diluere valent. *Aër* in hoc caſu ſit temperatiſſimus. *Exercitia* admodum moderata. *Somnus* concedatur protractior. *Animi pathemata* omni ſtudio reddantur placata. *Excrementa* reſpondeant aſſumptis. Sivero Sanguis eſt imprægnatus multis viſcidis, pituitoſis, & terreſtribus partibus obſtructionem parientibus, ſedulo ſibi caveat patiens ab illis, quæ difficilis ſunt concoctionis, quæque lentas & tenaces habent partes. Contra verò indulgeat cibis facilioris digeſtionis quæque tradunt nutrimentum ſubtilius quod facile in formâ chyli ad ſanguinem delatum leges circulationis ſequi poteſt. *Aër* ſit ad calidum vergens, non autem frigidus, neque marinus, quippe hæc humorum viſcoſorum conglutinationem promovent. *Exercitia* ſint moderata ad leves uſque ſudores. *Somnus* non nimium protrahatur. *Aſſumpta & excreta* reſpondeant quantum fieri poteſt. *Animique pathemata* vel triſtiora vel vehementiora cane pejus & angue vitentur.

F I N I S.

IN

LAUREAM MEDICAM

Nobiliſſimi & Experientiſſimi

Dn. WILHELMI LAYNGE,

IPSI

LUGDUNI BATAVORUM

Die 12. *Martij.* MDCLXXXV.

Feliciter collatam.

Artis Pœoniæ, Langi cupidiſſime Cultor,
Pœoniæ dum Te cathedræ committere cernit.
Ingenii vires Phœbus, miratus acumen
Dicit: Ea Æterno Digniſſima Censeo Cedro.

Clariſſimo DN. CANDIDATO, Amico è paucis chariſſimo cum poſt multas exantlatas peregrinationes, rarum & eruditionis & experientiæ ſpecimen, magno cum applauſu ederet, ſummoſque MAJORUM more ἀξίως obtineret honores, felix EIDEM tandem ad Livonos iter ὁλοψύχως apprecatur.

JOHAN EGIDIUS EUTH Med. Doct.
Archiater Ducis Saxoniæ. Pr. Hag.-Batav.

Poſt exantlatos fluctus, ſyrteſque laborum
Ecce peroptatus portus honoris adeſt.
Quem Teuto docuit, Gallus, cultuſque Britannus,
Illi jam Batavus præmia digna refert.

C Exci-

Excipiet meritô redeuntem patria plauſu,
Quem tot amicorum luget abire cohors.
Quod ſupereſt, noſtram omnino felicius artem
Exerce, cunctis auctus ubique bonis.
Auguror, ut, qui Te nunc Lauro cinxit Apollo,
Mox Venus ex Myrtho ſerta parata ferat!

Amico æſtimatiſſimo de meritis honoribus gratulaturus, fauſtos viales apprecaturus, & amicitiæ memoriam relicturus.

L. M. Q. Scr.

JOHANNES FRIDERICUS Ortlob.
Phil. & Med. Doct.

Sic ſerta dignum diva decent caput:
Sic commerentes cingere laureis
Juſtis Apollo: Sic labores
Purpurei tituli ſequuntur:
TE, docte LAYNGI, viderat impigrum
Examinandis viribus herbidæ
Naturæ, & optatum levamen,
Quî fieri queat inde morbis.
TE vidit, inquam, Filium Apollinis
Et Belga ſolers & Tamiſis potor,
Et diſſecandis arte venis
Gallus acer, Sequanuſque promptus.
Hinc non inanis ſpes patriæ tuæ,
Quæ mille votis TE reducem cupit
Lauro decorum, fulgidumque
Tot meritis Decus urbis almum.
Jam tabe lenti, membraque languidi
Adventum anhelant Pergamei novi,
Et ſanitatis reſtitutæ
Gaudia præcipiunt futura.
Sic ergò votum propitius Polus
Secundet ægrorum, & maneat decus

Sem-

Semper vireſcens TE Tuoſque
Re Medica celebres labores.

Nobiliſſimo Dno. Candidato Amico ſuo ſuaviſſimo longeque dilectiſſimo, ſic collatam gratulatur purpuram.

G. C. de Horn.

Tempora naturæ quondam mens altior iſto
Ordine deſcripſit diſpoſuitque vices,
Ut variis ſpargat Ver amabile floribus arva,
Pinguis ut autumno ſordeat uva lacu;
Omnigenas fruges, pecudique hominumque futuram
Lætitiam curis, arbor agerque ferat,
Æſtati injunxit. Sic tres ſua munera partes
Annorum mira ſedulitate creant.
Sunt hæc magna; fatebar enim: ſed magna licebit
Gaudia ſint, eadem ſunt quoque curta tamen.
Vix tria producunt quod tempora, corripit ecce
Et ſine fine vorans una reprendit hiems.
Hæc ſterilis decore & naturam floribus ipſam
Omnibus expilat (proh.) rabioſa lupa.
Macte igitur laude, & ſtudiorum munere macte,
Langi, tu Divum, tu hominumque favor.
Qui quum naturam ſævis ita legibus omnem
Subjectam videas ſævitioque premi,
Te tamen à tantis voluiſti ſolvere vinclis
Atque illibatam promere mentis opem.
Tu flos adſiduus; tu perpetuoque labore
Æſtas, Autumnus, Ver, facis, ut ſit Hiems.
Hinc illa & gemmis & floribus uberat arbor
Ingenii, cunctis dum ſua durat hiems.
Hinc internus ager lætiſſima gramina profert,
Dum terræ faciem publica nudat hiems.
Macte iterum, Langi, felix felixque laboris
Atque hiemis meritam lætus habeto vicem.

Nam tibi ſe vertit rerum natura, tibique
Se facies, tibi ſe temporis ordo novat.
Quæque aliis non eſt fœcunda, & tota rigoris,
Tota ſitu fœdo torpida pallet hiems.
Hæc mollita tibi, tibi fertilis, hæc tibi plaudens,
Graminaque & flores ſubjicit omne genus.
Unde vias, en! grata tuas conſpergere Pallas
Cingere & unde Comas ipſa Hygieia cupit.

Ita Doctiſſ. Dno. Langio Fautori ac Amico ſelectiſſimo, maturos Studiorum fructus ſub finem hiemis colligenti, officia ſua teſtari voluit.

J. L. Pincier.

Qui legit libros, ac hauſit verba Docentum,
Præſtitit ille aliquid, ſed non hoc omnia fecit.
Compos erit voti, qui ſingula vertit in uſum,
Artifices ſolus perfectos nam facit uſus.
Id magnâ cum laude facis *Præ-Nobilis Auctor*,
Pro meritis igitur nunc confert *Leyda Coronam.*
Gratulor ex animo; *Galenus* opes Tibi donet,
Ejus defectum mox ſuppleat ipſa *Galena.*

Ita Nobiliſſimo Dno Doctorando Conterraneo ſuo acceptiſſimo in teſſeram veræ amicitiæ ſcripſit.

PAUL BROCKHAUSEN.
Riga-Livonus.